

OBSERV. III. AD PS. XVIII, 35.

Verba hujus versus, in quo vates opem a deo sibi latam celebrat, per se quidem facilia sunt intellectu, eorumque sensus ope parallelismi membrorum sine difficultate constituitur. Quod enim in altero membro exprimitur verbis

מלמד ידי למלחמה

docens manus meas gerere bellum

idem in altero membro significare debent verba

ונחתה קשת כחושה זרועתי

Attamen duplex restat in his verbis difficultas, altera eorum constructionem, altera lectionem ipsam spectans. Vox enim ונחתה, vel in Niphal accepta pro נחתה jungi potest cum sequenti קשת, subintellecto ב ante זרועתי, vertique: *deprimitur vel incurvatur arcus aeneus brachiis meis*, vel in Piel posita construi cum זרועתי (ex more Arabum, nomina pluralia quae humana vocantur jungendi verbis singularibus, de qua re videatur *illustris* MICHAELIS grammati-

matica arabica §. 70. p. 240 et §. 71 p. 248. ubi locus Exod. XVII, 12. ויהי ידיו affertur nostro plane similis, et *illustris* PFEIFFERI Grammatica ebraica, qui eundem de quo hic agitur locum §. 47 ad eandem rem probandam adhibuit) ut sensus sit: *descendere faciunt vel incurvant brachia mea arcum aeneum.* Sed de ipsa etiam lectione vocis ונתפה dubitatio suboritur. Veteres enim interpretes ad unum omnes legisse ונתפה ex S. V. DATHII animadversionibus ad Psalterium Syriacum, et KÖHLERI ad hunc psalmum observationibus constat, eandemque lectionem confirmat codicis 546 apud KENNICOTTVM suffragium. His itaque testimoniis commotus vix dubitarem cum KÖHLERO hanc veterum interpretum lectionem vulgatae praeferre, sensumque hujus hemistichii sublimiorem atque poetes indoli magis convenientem inde elicere: *similia reddis brachia mea arcui aeneo i. e. firma hostibusque meis terribilia.* Notari etiam hic meretur singularis lectio codicis

291 collationis Kennicottianae, male a KENNICOTTO excerpta. Legit nimirum hic codex, cujus infra paullo uberiores addere licebit descriptionem, וְנִעְתָּה, KENNICOTTO tantummodo ן ommissum esse observante. Quae lectio, quamvis posthabenda vel vulgatae, vel antiquiori in versionibus veterum interpretum expressae, et ex mendo fortasse, sive scribae, sive typographi orta, sensum tamen fundit haud contemnendum, dummodo aliis animetur punctis vocalibus, וְנִעְתָּה. Sic enim enunciata haec vox ab עִית curvus fuit, media tamen ן hic quiescente, quod alias huic verbo insolitum est, derivari, vertique posset: *incurvatur brachiis meis arcus aeneus.*

OBSERV. IV. AD Ps. XIX, 14.

Haeferunt interpretes in hoc versu circa constituendum vocis אֵיתָם sensum. Alii enim derivantes illam a אֵיתָם ex consueta hujus vocis significatione verterunt: *infanti tunc pupillo similis ero quoad innocentiam,*
alii